

IN
EXPIRATIONE,

TITULUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Articulus mortis est quando moriens agit Animam.
- 2 Signa demonstrantia exitum Animae sunt aequivoca.
- 3 Tutior regula est nunquam deserere Infirmum.
- 4 Si exitus manifestatur, tunc instanter orandum.
- 5 Moriens de raro potest pronunciare verba.
- 6 Nisi moriatur morte violenta.
- 7 Jesu nomen repetendum est.
- 8 Ad aures Infirmi conclamanda est Vox Jesu.
- 9 Etiam in morientibus de mandato Judicium.
- 10 Campanae pulsandae, in exitu morientis.
- 11 Confraternitas Agonizantium.
- 12 Non ita facile credi debet, morientem exspirasse Animam.
- 13 Experientia multis modis facienda.
- 14 Sacerdos non immediate deserere debet lectum morientis.
- 15 Astantes interim invitandi ad recitationem orationum.
- 16 *Subvenite* est deprecatio dicenda post expirationem,
- 17 Ejus antiquitas, et usus.
- 18 Hoc Responsorium bis pro quocumque defuncto recitatur.
- 19 Campana denuo pulsanda post transitum.
- 20 Debet pulsari diversimode quoad modum.
- 21 Nomina varia signi dandi cum Campana in expiratione.
- 22 Eleemosyna danda pro hoc signo.
- 23 Non exigenda nisi signum detur.
- 24 Datur etiam ab Ecclesiis Confraternitatum.
- 25 Campanae non pulsantur in morte Infantium.
- 26 Psalmus. *De profundis* recitandus quando Campanae pulsatur.
- 27 *Ave Maria* pro mortuis.
- 28 Cadaver quomodo componi debeat in suo cubiculo?
- 29 Masculi Masculos, Foeminae Foeminas curare debent.
- 30 De Balsamatione Cadaverum.
- 31 A Physicis peritis hoc fieri debet.
- 32 Viscera reponenda in Urna, et sepelienda in loco Sacro.
- 33 Epitaphium poni potest Visceribus; prout extat Ferrariae.
- 34 Quid agendum post Balsamationem.
- 35 Locus decens, in quo collocare debet Cadaver in Domo.
- 36 Cadaver sine lumine non deferendum.

- 37 Lumen hoc quid significet?
- 38 Lucernae sepulchrales antiquorum.
- 39 Crux supra pectus Cadaveris ponenda, et quid significet?
- 40 Quacumque palea componere valet Crucem.
- 41 Manus Defuncti in modum Crucis componendae.
- 42 Sudariolum aliqui ponebant infra manus Defuncti.
- 43 Quod a Sacra Rituum Cong. prohibitum fuit.
- 44 Aqua benedicta quid praestet Cadaveribus?
- 45 Oratio facienda in domo defuncti pro ejus Anima.
- 46 Fideles antiquitus vigilabant in oratione.
- 47 Vigiliae mortuorum unde ortum habeant?
- 48 Parochus verba consolatoria dicere debet domesticis defuncti.
- 49 Luctus immoderati prohibentur.
- 50 Praeficae olim conducebantur ut supra mortuos flerent.
- 51 Vigiliae hodierna fiunt de nocte.
- 52 Abusus circa has Vigiliis detestati.
- 53 Ludi et comessiones prohibita, occasione hujusmodi Vigiliarum.
- 54 Custodia Cadaverum habenda: vel transferenda sunt ad aliquam Ecclesiam.

1 2 3 Late patet, quod vere ille dicitur, et est articulus mortis, quando moriens agit Animam: sed signa quae demonstrent hunc exitum fore proximum, omnia aequivoca sunt, nec indubitata. Mancinus *d. Pract.* 11. assignat interruptam respirationem, pulsum languidum, oculos semiapertos, et alia, sed ab istis signis, se quoque non raro delusum fuisse asserit. Tutior regula pro Sacerdote seu Ministro assistente est ut nunquam deserat Infirmi lectulum, tunc quando de vicina morte Infirmi prudenter timendum sit. Ita docuit Venerabilis ille P. Camillus de Lellis piissimi, et utilissimi ordinis Ministr. Infirm. Institutor.

4 Nihilominus dari potest quod ex signis certis, et indubitatis tempus expirandi appareat, et manifestetur. In hoc casu audiamus quid doceat Rituale.

§. I. Cum vero tempus expirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus, vehementer Orationi instandum est, etc,

Praecipit igitur Textus, ut tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus vehementer Orationi instandum sit: ubi nota gravia, et magni momenti verba, quibus utitur, nempe: *Maxime, vehementer, et instandum*, quae significant, grandem tunc esse necessitatem, ut moriens adjuvetur.

§. II. Ipse vero moriens, si potest, dicat, vel si non potest, Assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronun-

ciet *Jesu: Jesu: Jesu:* Quod, et ea quae sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam saepius repetat, *In manus tuas Domine, etc.*

5 6 7 8 De raro contingit ut moriens, in actu expirationis valeat pronunciare verbum, si morte naturali, et ex infirmitate moriatur. Sed si morte violenta (eo quia Infirmitas eum sensu privat) valet dicere verba, et non pauca; unde, praesertim Morti damnatis repetenda sunt illa Sanctissima verba *Jesu, Jesu, Jesu*, quia illa vere audiunt, et in instante quo a Carnifice obtruncantur, seu suffocantur, omnes sensus integros habent, Infirmis vero, seu morientibus morte naturali, ista verborum Sanctorum repetitio fieri potest etiam ad aures, sed ut plurimum morbus impedit sensus, adeo ut nihil percipere valeant. Nihilominus ad bonum finem, et ad melius, juvat illis ad aures clamare, ut saltem corde, si valent, invocent nomen *Jesu*, et actus pios ad sui juvamen eliciant, ut Indulgentias lucrentur a Sixto V. concessas anno 1587. et a Benedicto XIII. renovatas anno 1728.

9 Hoc unum addam ad instructionem illorum, qui morti damnatos consolandi pium Officium exercent; nempe ut advertant quam laudabile sit repetere, et quidem alta voce, nomina *Jesus, et Mariae* ad aures morte plectendi, tunc etiam quando jam demissus est, et pendet e laqueo, sed adhuc vivit; quia etsi ille capax non judicetur amplius, aliquid neque boni, neque mali agendi, attamen vivit adhuc, donec Anima a corpore separetur. Insuper spectator Populus hoc desiderat, ne videantur Consolatores deserere miserrimum illum in illo extremo sine subventu saltem spirituali.

§. III. Tunc ubi vigeat pia consuetudo, pulsetur Campana Parochialis Ecclesiae aliquibus ictibus, ad significandum Fidelibus in Urbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus instantem mortem expirantis aegroti, ut pro eo Deum rogare possint.

10 Pia admodum est haec consuetudo pulsandi Campanam in exitu morientis, sed non universalis; et fit, ut populus audiens pro Agonizante oret, Corsett. *Ind. Rational.* verbo *Campanae*.

11 Instituta est etiam aliquibus in locis pia Confraternitas nuncupata Agonizantium, cui qui associantur, tenentur recita-

re nonnullas Preces in actu trancitus alicujus fidelis ex hac Vita: atque ideo solet dari signum conveniens, et statutis ictibus, ut fideles noscant, illud esse signum pro agone morientis.

§. IV. Egressa Anima de corpore, statim dicatur hoc Responsorium: *Subvenite Sancti Dei, etc.*

12 13 Oportet, ut Parochus, sive Sacerdos, qui morienti adstat non adeo facile credat illum expiratum esse, et animam illius a suo corpore separatam. Multis modis fieri solet experientia an vere adhuc vivat: sed quoniam in manu Sacerdotis tunc debet esse Candela (non enim tenenda est ab Infirmo in illo instanti, quia manus languentes illam non valent valide perstringere) cum qua accensa coepit opus commendationis Animae, et cum qua signare, et benedicere morientem in actu expirationis, laudabile est, illam admovere debet caute ad os morientis cum flamma accensa, et attente observare an flamma moveatur, vel ab aspiratione ulla ex ore morientis proveniente agitetur.

14 15 Insuper Lectum morientis, seu mortui deserere non debet Sacerdos, sed Orationem suam, et circumstantium producere longius per aliquod temporis spatium, ad hoc ut videat, an post expirationem, quae postrema adjudicata fuit, alia, et alia quoque subsequatur per intervallum, ut saepe accidit, et ut advertit Mancin. *loco citato*; qui monet quod ad occupandum fructuose, illud, licet breve temporis spatium, potest invitare circumstantes, ut recitent mature, et non festinanter, tres Orationes Dominicas, et tot Salutationes Angelicas ad honorem Sanctissimae Trinitatis, seu trium Clavorum, quibus Redemptor Crucis affixus fuit.

16 17 Cognita, et perfecta veritate de expiratione, immediate Sacerdos inchoare debet Preces: *Subvenite Sancti Dei, etc.* quae est antiquissima, et habetur etiam in Antiphonario S. Gregorii allegat. a Gavant. *T. 2. sect. 9. c. 6. num. 6.* et est veluti principium exequiarum defuncti.

18 Circa quod non inutile scitu est, hoc Responsorium bis pro quocumque defuncto recitari: Nam immediate recitatur post expirationem; et noviter ad ingressum Ecclesiae, dum cadaver effertur; et hoc non inutiliter, nec sine causa.

In domo Defuncti recitatur privatim: in Ecclesia vero publice: in domo invocantur Angeli tutelares loci: in Ecclesia custodes Ecclesiae: In domo est immediata recitatio post expirationem, ut Angeli subveniant, et occurrant illi; In Ecclesia est

mediata, et fit, ut uniantur simul Preces Fidelium ex ritu quandoquidem post expirationem hoc fit ex charitate, ut Anima illico succurratur.

§. V. Interim detur Campana Signum transitus defuncti, pro loci consuetudine, ut audientes, pro ejus Anima Deum precentur.

19 20 Iterum Campana pulsanda statuitur, ut qui eam audiunt, orent pro Anima defuncti, Beda l. 4. c. 32. Signum hoc debet dari diversimode a quocumque alio, ut facilius audientes illud, cognoscant quid illo sono significetur. Ideo textus dicit: *De consuetudine*, non quoad sonum, quia in quacumque Parochiali Ecclesia, hoc ex ritu fieri debet, sed quoad modum, et prolixitatem sonitus.

21 Variis nominibus signum hoc, in diversis Regionibus nuncupatur: Alii *Transitum*, alii *Extremum*: alii *Ave Maria mortuorum*: alii diversimode, et ubique ad hunc finem, ut effundantur Preces pro defuncto.

22 23 24 In Taxis funerum per varias Synodos praescriptis, assignatur emolumentum, seu eleemosyna danda Ecclesiae, seu illius Campanario, pro hoc signo Transitus: quae eleemosyna ab aliquibus rigore exigitur, quamvis nullum datum sit signum cum Campana, ob desuetudinem: sed injuste hoc exigunt tales ministri, quia de Opere non praestito, seu de labore non insumpto nulla merces sperari debet. Solet dari hoc signum etiam in Ecclesiis non Parochialibus, in quibus instituta sit aliqua pia Confraternitas quando defunctus sit unus ex sodalibus ad hoc ut caeteris consortialibus innotescat, et Indulgentias assignatas lucrentur.

25 In morte puerorum, seu Infantium non pulsantur Campanae ad populum admonendum, ut pro illis oret, quia talium est Regnum coelorum, Lavorius *Variar. lucubr. T. 1. tit. 2. c. 3. n. 82.* apud quem multiplicem eruditionem invenies circa hunc Campanarum sonum, et alia sepulchralia.

26 27 Pro Corollario addam id, quod circa hunc ritum pulsandi Campanas in morte alicujus fidelis, praescripsit S. Carolus, *Act p. 1. Prov. 3.* his verbis: *Cum nullum pietatis officium Parochus in eorum, qui fidei, curaeque suae commissi sunt, salute adjuvanda, praetermittere ullo unquam tempore debeat, tum hoc etiam, audita Parochialis cujuspiam incolae morte praestet, ut statim Psalmum De profundis, sancte dicat, et omni animi pietate, menteque supplici, Orationem ad hoc Officii genus pertinentem habeat, ut dives in misericordia*

sua Deus, illius Animae misereatur, cujus etiam ipse, in die irae, rationem est redditurus. Ut vero a fidelibus pro mortuo Oratio fiat, idem signum det Campanae sono, quo significatur: Ave Maria, etc, Haec S. Carolus loc. cit. quae a toto Christiano populo essent sedulo animadvertenda, et executioni demandanda.

§. IV. Deinde corpus, de more honeste compositum, loco decenti, cum lumine collocetur; ac parva Crux super pectus inter manus defuncti ponatur: aut ubi Crux desit, manus in modum Crucis componantur: interdumque aspergatur aqua benedicta: et interim donec efferatur, qui adsunt, sive Sacerdotes, sive alii, orabunt pro defuncto.

28 29 Honesta compositio cadaveris erit, si ad modum jacentis supini ponatur, junctis pedibus ac brachiis, manibusque thoraci adnexis; non vero eo modo, quo mortuus inventus sit in composita jacens in suo lecto, sed oculis, et ore clausis, lotisque vultu, manibus, et pedibus, necnon capillis, quoad fieri possit pectine discriminatis, et saltem camisia corpori superinducta. Hoc officium praestare debent Familiars, et Domestici, Masculis Masculi, Foeminis vero foeminae, ut modestia, honestas, et decencia omnimode servetur. *Syr. d. Ferr. Card. de Verme, cap. de fun. sepult.*

30 31 Si curam medicandi, seu balsamatione condiendi cadaver, aliquis sibi sumere velit, ut in Principibus, et nobilibus evenire solet, atque ut antiquissimi moris est, de quo vide eruditissimum opus doctissimi nostra hac tempestate Physici Josephi Lanzoni: *de Balsamatione cadaverum*; hoc totum praestari debet a peritis Physicis juxta artis praecepta, quae honestatem in Viris ad hoc idoneis supponunt.

32 In hoc casu extra, seu interiora, et quaecumque viscera nobiliora, quae a cadavere extrahuntur, reponenda sunt in urna ad hoc parata, et citius quam fieri potest, sine ritu, sepelienda in loco Sacra, vel in eodem sepulchro in quo cadaver humandum est, vel extra, si defuncti corpus ad longinquas Regiones transferendum esset, remanentibus in loco, ubi defunctus mortem obiit, ejus exenteris: quae si longe transferenda sint, affabre claudi debent, et sigillari, utpote in Viris principibus fieri solet de Corde, quod sepeliendum per tabulas testamentarias quandoque mandant in aliquo Sacello sibi bene viso, in testimonium religiosae pietatis, et devotionis.

33 Istis exenteris apponi potest etiam epitaphium, et Inscriptio tanquam sepulchralis, ut factum fuisse constat Ferrariae

in Templo S. Georgii extra muros, ubi in Capella Sancti Maurilii, ad cornu Epistolae, legitur Epitaphium positum usque ab anno 1511. Exenteris olim Philiberti Montason Galli, qui in hoc Monasterio obiit, et corpus suum in Gallia sepeliendum testamento legavit. Verba epitaphii sunt prout jacent, et a M. Antonio Guarino in ejus Comp. Hist. l. 6. pag. 397. referuntur.

PHILIBERTI MONTASONIS
GALLI. GALLICIQ. EXERCITUS
PRAEFECTI EXENTERIA.

34 35 Facta exenteratione, et balsamatione per peritos, consui debent partes sectae, et primo loco cranium si sectum fuit, ut deforme non apareat caput defuncti tempore exequiarum: deinde lavari debet totum corpus et a sanguine effuso ob incisionem mundari, atque ita decenter, et honeste ut supra diximus, componi in eodem cubiculo, in quo decessit, prout consuetudo est, donec tempus superveniat illud exponendi pro exequiis: Alii supra linteum, alii supra stoream in terra stratum, alii supra mensam juxta conditionem defuncti, circa quod vide Kirchmann. *de funeribus*, Gyraldum nostrum: *de vario sepeliendi ritu*. Laviorum, Casalium, et alios plures, qui de funeribus tractant.

36 37 38 Advertendum est insuper, quod cadaver Viri fidelis, seu foeminae sine lumine non est deferendum. Lumen illud monet fidem defuncti, quae neque per mortem extincta est, Amal. *de Eccl. Off. l. 1. c. 17. 18.* Item ponitur ad significandum Animas vivere, et defunctos esse filios lucis, necnon corpora eorum resurrectura, Lavor. *d. T. 1. tit. 2. cap. 3. n. 130.* Gentiles ad superstitionem accendebant Lucernas perpetuas, ut lucerent etiam in sepulchris, Licetus *de Lucernis sepulch.* Quod et item fecerunt primae aetatis Christiani, absque tamen ulla superstitione, sed ut aliquo modo illud verificaretur materialiter, quod spiritualiter intelligit Ecclesia Dei quando dicit, *Lux aeterna luceat eis Domine, vel Lux perpetua luceat eis;* quare etiam in sepulchris antiquorum Christianorum reperiuntur hujusmodi lucernae, cum signis, et hieroglyphicis Christianae Religionis, quarum nonnullae in meo Musaeo asservantur tum aeneae, tum lateritiae.

39 Parva Crux imponitur super pectus defuncti; et hoc fit ad significandum, illud esse Christi-fidelis, atque ut demonstraretur per longitudinem Crucis profunditas fidei in corde de-

functi, Rupert. Abb. *de divin. off. l. 6. c. 9.* allegat a Lavor. *ib. n. 172.* ubi multa de cruce in funeribus.

40 41 Si vero Crux non adsit, manus defuncti componi mandat textus in modum Crucis. Vere miser locus ille est inter Christianos, in quo Crux non reperiatur, vel ubi modus, seu materia non habeatur, illam cito componendi: quodcumque lignum, quaecumque festuca, et palea componere valet Crucem, ut aiebat olim celebris B. Beatrix Estensis. Vide ejus acta a me conscripta et typis edita Anno 1723. *cap. 11.* Dato itaque, quod nihil inveniri possit, ex quo Crux effingi queat, praescribit Rubrica, ut manus defuncti in modum Crucis supra pectus ejus componantur; qui usus servatur in sepeliendis antiquis Christianis, et est multa laude dignus, Lavor. *d. et Casal. c. 66.*

42 43 Mos erat annis elapsis apud Tudertinos, Sudariolum apponere supra manus junctas in pectore Cadaverum; sed habito recursum ad *Sacr. Congreg. Conc.* ut declararet, cujus juris tale sudariolum esse deberet, Parochi ne vel Ecclesiae, in qua humabatur Cadaver, mandavit illud amplius non offerri cum Cadavere, Ursaya *discept. Eccl. T. 4. disc. 14. n. 43.*

44 Aspersio Cadaveris cum aqua benedicta ad multa juvat, ut dicemus in Titulo *de Sepulturis*. Modo unice dicemus, hoc fieri, ne daemones fidelium Orationes impediunt, et cadaveribus illudant, eaque corpora vexent, ut habetur in *Rationale*, l. 7. c. 35. n. 38. Solent enim Daemones, ut ibi legitur, deservire in corpora mortuorum, ut quod nequiverunt in vita, saltem post mortem agant.

45 46 47 Interim qui adsunt, orabunt pro defuncto. Ista Oratio in domibus privatis solet fieri die, noctuque, cum saltem unius noctis tempore perdurare debeat Cadaver in domo, in qua defunctus est homo, priusquam efferatur. Unde nocte, quae praecedebat funus, vigilasse, nocturnasque vigilias in Psalmis canendis egisse Veteres narrat Greg. Nyssen. *ad Olimp. de morte Macrinae*, et P. Damian. *ep. 5. cap. 6.* ex quo vigilias mortuorum traxisse originem tradit Durant. *de Rit. Eccl. l. 1. c. 4. n. 14.* qui inquit, Tolosae interdum Vigiliae mortuorum canuntur a Monachis circa corpus, in aedibus defuncti. Et S. Chrysost. *Hom. 70. ad pop. Antioch.* relat. a Lavor. *d. tit. 2. c. 3. n. 39.*

48 Caeterum circa morientem, opus Sacerdotis expletum est. Deserens domum defuncti, nonnulla proferet verba domesticis illius, quibus honesto illos solamine levet, et recreet, pollicens, se deprecaturum et pro mortui Anima, et pro ipsismet eidem junctis sanguine.

49 50 Iis etiam distincte inhiabit immoderatos luctus, et immanes quosdam gestus, scissionis capillorum, dilaniationis genarum, brachiorum denudationis, quae omnia valde repre-

hendit S. Chrysostomus, dicens, se quidem non prohibere, mortuos lugere, sed impudenter lugere, nec lacrymari super defunctum improbandum esse. Eum quoque morem conducendi mulieres lugentes (qui haud dubie ab Ethnicis desumptus est, ut in mea dissertatione de Praeficis demonstravi) acerbe reprehendit, et graviter minatur, se ejusmodi ab Ecclesia prohibiturum, *Hom. 61. in Joan.*

51 52 53 Hodierno tempore de nocte fiunt vigiliae mortuorum in eodem Cubiculo ubi jacet Cadaver, ad custodiendum illud, atque ad arcendos insultus murium, aliarumque Bestiarum, ne cadaver ab illis laedatur. Sed eodem tempore, et potiori causa, recitantur Preces, et Orationes pro salute Animae illius, qui olim fuerat in illo carnis habitaculo. In nonnullis Synodalibus constitutionibus prohibentur non hujusmodi Vigiliae, sed contubernia, quae hac occasione fiunt in domibus Defunctorum a Personis cujuscumque sexus non sine crapula, et comensationibus, ludisque profanis, qui gentilitatem sapiunt: et Deo dante, per Antistitum vigilantium hodie sublatus est tam perniciosus abusus e gremio Fidelium, nec nisi Orationibus, et Precibus vacant, qui sustinent vigiliis noctis in defunctorum custodiam.

54 Si vero cadaveris custodia haberi nequeat, vel maximi sit incommodi haeredibus, vel habitantibus in Domo defuncti, satius erit illud ad aliquam Ecclesiam transferre, ubi deponatur (non vero sepeliatur) usque ad horam translationis ad ecclesiam, in qua illud sit sepeliendum. Pro qua Depositione venit hic notandum id quod refert, et declarat P. Cavalieri in Agenda Defunctorum *cap. 15. dec. 10. 16. 18. 37. 42. et cap. 17. decr. 60.* ad nostram materiam valde consentaneum: nempe—Hereditibus liberum est cadaver in qualibet Ecclesia deponere juxta sequens S. R. C. responsum ad quaesitum—An Haeredes Defunctorum sint cogendi ad retinendum domi cadavera, usque ad tempus illa sepeliendi? An vero iisdem Haeredibus liceat pro libito asportare dicta cadavera e propriis domibus ad quamcumque Ecclesiam per modum depositi, usque ad horam illa tumulandi etiam si essent sepelienda in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu Parochi, seu prohibitione ab eodem facta uti Vicario foraneo?—S. R. S. Respondit—*Petita, et etiam non obtenta licentia, posse cadavera deponi arbitrio Haeredum in qualibet Ecclesia, usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturae die 22. Junii et 13. Jul. 1675.*

Hujusmodi depositio cadaveris in qualibet Ecclesia, vel quocumque alio commodo, et honesto loco, consultum erit ut fiat privatim de nocte, vel summo mane; nec requiritur Crux, et praesentia Parochi, qui idcirco, licet in sua Parochiali cadaver deponatur, ut inde ad Ecclesiam sepulturae transferatur,

nihil exigere debet ratione dapsiti, perinde ac si minime deponeretur, nec haeredes cogere potest, ut pro defuncto Officium celebrari faciant in eadem Parochiali, prout celebratur in Ecclesia in qua Cadaver sepelitur. Ita disertissimus Cavalierius ll. supra citatis, cui Authori libenti animo adstipulor: hoc unum tantummodo exoptans, ut in diebus meis (me extra causam stante) hoc videre mihi contingat, ut jurgia et dissiquerula, et consueta auscultare possim, et extemporanea remedia apud illos, quos latet hujusmodi S. R. C. decretum.